

Sächsische

5

A

4837

Landesbibl.

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,

DE
EXPOSITIONE
INFANTVM EX IDEA IVRIS
NATVRALIS, ROMANI
ATQVE
GERMANICI

QVAM
DIVINA ANNVENTE GRATIA,
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE
AMPLISSIMI ICTORVM ORDINIS
IN ELECTORALI ACADEMIA ERFVRTENSI,
SVB MODERAMINE

DN. RVDOLPH. CHRISTOPH.
HENNE, JCTI,

FACVLTATIS IVRIDICAE ET IVDICII ELECTORAL. PROVINCIALIS
ADSESSORIS, NEC NON IVR. PVBLICI PROFESSORIS
PVBLICI ORDINARII,

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS,

RITE CONSEQVENDIS,
ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR
GEORG EMANVEL HOGEL
ERFVRTENSIS.

LOCO CONSVETO ET HORIS SOLITIS
DIE XXIV. MAII MDCCLVI.

ERFORDIAE, Litteris HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

Sächsische
Landesbibliothek
27 JULI 1987
Dresden

G



CONSPECTVS DISPVTATIONIS.

SECTIO I.

De Expositione infantum secundum Jus Naturæ considerata.

- §. I. II. III. IV. Omnes homines in regula ad sobolem procreandam obligatos esse demonstrant.
- §. V. VI. VII. & VIII Sola procreatione hanc obligationem non absolvi, sed educationem accedere debere, ostendunt.
- §. IX. X. XI. Omissionem hujus obligationis delictum constituere, & hinc expositionem infantum, delictum esse J. N. contrarium colligunt.

SECTIO II.

Pertractat expositionem infantum secundum Jus Romanum spectatam.

- §. XII. XIII. & XIV. Romulum jamdum in primordiis reipublicæ civibus suis, prolem triennio minorem necare prohibuisse, & ex parte etiam jus illam exponendi, concessisse, tradunt.

A

§. XV.

- §. XV. & XVI. Una cum pleno jure vitæ & necis in liberos, etiam exponendi facultatem, civibus Romanis paulo post concessam fuisse ab eodem Romulo, probant.
- §. XVII. Originem hujus exponendi facultatis indagat.
- §. XVIII. XIX. & XX. Utrum & mater hac facultate gavisa fuerit, inquirunt, & negativam sententiam defendunt.
- §. XXI. & XXII. Utrum in recens natis solummodo expositio locum habuerit investigant, atque promiscue illam locum habuisse, asserunt.
- §. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. & XXVIII. Variorum opiniones de duratione hujus expositionis recensent, & jure Pandectarum illam jamjam prohibitam fuisse, adstruunt.

SECTIO III.

Agit de expositione infantum Jure Germanico indulta, vel prohibita.

- §. XXIX. XXX. & XXXI. Veterum Germanorum, ut & utriusque Speculi hac de re Sanctiones, proferunt.
- §. XXXII. Quid jure hodierno ex lege Caroli V. Imperatoris, circa hanc expositionem justum sit, considerat.
- §. XXXIII. Atrocitatem hujus delicti ponderat.
- §. XXXIV. XXXV. XXXVI. & XXXVII. Qualis pœna a matre exponente, pro diversitate casuum sit subeunda, exponunt.
- §. XXXVIII. Pœnam arbitrariam locum habere statuit, si expositio a persona ad alendum & educandum non obligata, facta fuit.
- §. XXXIX. Defendit expositos in dubio haberi legitimos.
- §. XL. Illos, si de baptismo ipsis collato, non constet, baptizandos esse, adstruit.
- §. XLI. Quis exposito, reperto deinde, de alimentis prospicere debeat? investigat.
- §. XLII. Tractationi colophonem imponit.

Q. D.

Q. D. B. V.

SECTIO I.

De expositione infantum secundum Jus Naturæ.

§. I.



obis de expositione infantum acturis, inquirendum erit ante omnia, utrum ad sobolem procreandam, homines cætera habiles teneantur? hanc quæstionem eo magis affirmandam putamus, quo certius in Doctrinis Philosophicis evictum est principium: Deum velle omnium creaturarum tam quoad speciem, quam quoad individua, conservationem.

§. II.

Quodsi cum hoc principio jungamus dictum illud Jure Naturæ probatum: perficias corpus tuum etiam sensibile, quo omnes actiones tuæ operationesque cum scopo corporis sensibilis consentiant, omniumque membrorum ideas evolvas, atque rationem deducas, cur hac & non alia ratione existant, & coexistant, facile concipere possumus obligationem hominum ad procreandam sobolem.

SCHOL. I. Constat ex principiis Theologiæ Naturalis dictum: Ea quæ ex rerum essentia fluunt, constituunt finem dei.

A 2

SCHOL.

SCHOL. II. Idem hoc principium THOMASIVS in *Jurisprudencia Divina Lib. III. cap. 2. §. 52.* ex Societate deduxit, conf. etiam PUFFENDORFF in *Jure Natur. & Gentium Lib. II. cap. 2. §. 3.*

§. III.

Cum itaque adsit obligatio naturalis ad generandam sobolem, obligatio vero naturalis præsumatur etiam esse civilis, constat inde, cur boni cives ad procreandam sobolem sint obligati.

COROLL. Patet ex dictis divisio obligationis in universalem & particularem, & inde legis universalis & particularis.

§. IV.

Hanc ob causam Romani leges tulerunt, præmia multos liberos procreantibus, promittentes, & apud VALERIVM MAXIMVM *Lib. II. cap. 9.* relatum legimus, CAMILLVM & POSTVMIVM censores, pœnæ nomine eos qui ad senectutem usque cælibes pervenerant, mulctam quandam in ærarium deferre jussisse, quod mulctæ genus, uxorium vocabatur. Vid. FESTVS voce uxorium & ibi SCALIGER.

SCHOL. Eodem modo turpe habitum fuit apud Judæos, sterilem & improlem esse, docente SELDENO in *Jure Nature & Gent. secundum disciplinam Ebraeorum Lib. V. cap. 3.* sententiam foventes, omnem negligentem præceptum de multiplicatione generis humani, habendum esse veluti homicidam, nec minus AELIANVS *V. H. Lib. VI. cap. 6.* legem quandam in medium profert Spartanorum, sancientem: ut ille qui tres filios reipublicæ suppeditaret, immunis sit ab excubiis agendis, qui vero quinque procrearet, libertatem consequatur, ab omnibus publicis oneribus subeundis.

§. V.

§. V.

Quoniam vero infantes recens nati, ob virium imbecillitatem nec vitæ conservandæ, nec felicitatis promovendæ pares sunt, non potest sequi non, obligationem hominum sola procreatione sobolis minime absolvi, sed adhuc aliud quid accedere debere, quo genus humanum factum tectum conservetur, quod autem educatione comprehenditur.

§. VI.

Educare idem est, ac infantum actiones eo dirigere, ut in iisdem excitetur habitus vitam naturalem & socialem promovendi.

SCHOL. Non male igitur XENOPHON *in Epist. ad CATONEM* dixit: qui filiis de multis opibus prospiciunt, ut autem boni ac egregii evadant, negligunt, simile quid agunt, equos alentibus, quos belli disciplinam non docent, iis vero multum pabuli exhibent, sic enim equos habituri sunt pinguiores, sed rerum, quas præstare oportebat imperitos.

§. VII.

Posito uno connexorum, ut etiam ponatur alterum necesse est, seu ut dictum est ARISTOTELIS: qui dat formam, det etiam quæ ad formam sunt necessaria. Hinc, qui est causa hominis existentiæ, is quantum in se est, & quantum necessitas postulat, prospicere quoque debet de his, quæ ad vitam humanam, tam naturalem quam socialem eamque perfectam agendam, sunt necessaria, ex quo pronò fluit alveo, parentes quoque obligatos esse, ad sobolem procreatam educandam.

COROLL. I. Finis & media sunt connexa, nemo igitur ad finem obligari potest, qui non simul ad media tenetur, & vice versa.

COROLL. II. Socialitas non solum perfectionem corporis requirit, sed tendit etiam ad perfectionem animæ.

SCHOL. I. Notari hic oportet, aliam parentum esse obligationem ad sobolem educandam ex illorum statu, aliam ex eorum factis oriundam.

SCHOL. II. Alii nostram obligationem instinctum, seu stimulum naturalem, nobis ab ipsa inditam natura vocant, ita *JUSTINIANVS princ. Institut. de Jure Nat. & Gent.* loquitur, naturalis enim stimulus si-
ve *σοφν* parentes ad liberorum educationem hortatur, in *Digestis* etiam hinc inde deprehenduntur verba: Filiam vel filium alere, patri necesse est, propter ipsam naturam.

§. VIII.

Cum igitur obligatio hæc sit naturalis, omnis omnino sub se comprehendens homines, quilibet animadvertet, quid sentiendum sit de dogmate *ARISTOTELIS polit. Lib. VII. cap. 16.* statuentis & dicentis:
„De exponendis autem & alendis fœtibus esto lex: ut
„nihil alatur mancum & membris orbatum, determi-
„nanda est procreandorum liberorum multitudo, sed,
„si quibus fuerit aliquid præterea genitum, abortio-
„nem ante sensum & vitam facere conveniet, quatenus
„enim fas sit progredique liceat, sensu & vita termi-
„nabitur.

SCHOL. Naturale debitum quoad educationem nul-
lam admittit distinctionem, inter vulgo quæsitos,
incestuosos, &c.

§. IX.

§. IX.

Visa hæcenus obligatione naturali ad alendum & educandum partum, proximum est ut & intueamur, quatenus omissio hujus obligationis delictum constituat.

§. X.

Omnis qui actionem moralem legibus contrariam perpetrat, delinquit, delictum igitur est actio dolosa legibus contraria.

COROLL. Cum Leges diversa ex idea considerari possint, quod vel sint Naturales Romanæ aliæque, diversa concipimus delicta.

§. XI.

Qui itaque recens sibi nato infanti præstationem alimentorum & educationem denegat, ac *σοφῆν* naturalem ejurat quasi, actionem committit legibus contrariam, delictum ergo quo quis recens natam prolem abjecit, vocatur expositio infantum. Eaque ex modo alatis jure naturali est prohibita. Hinc in sequentibus indagandum erit sectionibus, quid justum sit circa hocce delictum secundum Jus Romanum & Germanicum.

SECTIO II.

De Expositione infantum secundum Jus Romanum.

§. XII.

Satis, nisi omnes fallimur, in antecedentibus evictum dedimus, parentes dolo malo alimenta liberis denegantes, eamque ob causam liberos exponentes, deli-

delictum Juri Naturali contrarium committere. Idem etiam a primis conditæ Reipublicæ Romanæ temporibus ex parte æqua animi lance perpendit conditor urbis Romæ ROMVLVS, clarissimis historiæ Romanæ documentis id comprobantibus.

§. XIII.

Notanter vero asseruimus, Romulum ex parte hanc veritatem habuisse comprobatam, neutiquam vero ex asse cognitam, siquidem distinxit inter prolem masculinam & femininam, nec non monstrosam & mutilam, in masculis naturalem confirmavit obligationem, præcipiens, ne ullum fœtum triennio minorem occiderent, ut omnes educarentur & alantur, feminini generis prolem quoad primogenitas solum hac sanctione munivit, reliquis exponendi facultati relictis, monstrosam autem partum parentibus impune exponendum permisit, hac tamen adhibita conditione, ut prius quinque vicinis proximis ostendatur, hac vero lege non observata, a transgressoribus pœna erat subeunda, consistens in confiscatione seu publicatione dimidiæ partis bonorum.

SCHOL. I. In superioribus §. VIII. scholio animadvertimus naturale debitum non distinguere neque inter masculos & fœminas, neque inter monstrosos, incestuosos, vulgo quæsitos & cet.

SCHOL. II. Legem ROMVLI huc spectantem sequentibus verbis apud DIONYSIVM HALICARNASS. *Lib. II. p. m. 88.* relatam legimus. „Romulus igitur his „instituit civitatem instructam & ornatam, tam ad „pacem quam ad res bellicas satis habilem & idoneam reddidit, eamque hac ratione & magnam & fre-

fre-

„frequentem fecit, primum quidem ejus colonis
 „necessitatem imposuit, educandi omnem virilem
 „prolem, & e filiabus eas, quæ primogenitæ essent
 „& vetuit, ne ullum foetum triennio minorem ne-
 „carent, & nisi quis infans mutilus aut prodigiosus
 „statim in ipso partu editus fuisset Nam non ve-
 „tuit ejusmodi monstrosos partus a parentibus ex-
 „poni, dummodo eos prius ostenderent quinque
 „vicinis proximis, si & ipsi id comprobarent. In
 „eos autem, qui contra leges istas fecissent, multas
 „statuit, tum alias tum etiam hanc, qua dimidiam
 „bonorum, quam illi possiderent, ærario addixit.

§. XIV.

Invaluisse igitur statim a primordiis Reipublicæ
 Romanæ morem exponendi partus, ex modo allatis
 satis superque elucere putamus, quod si enim iste mos
 non obtinuisset, neutiquam opus fuisset, ut ROMVLVS
 legem ex parte prohibitivam tulisset, eumque morem
 certo modo & ad certos terminos restrinxisset, ejus-
 que trangressores determinata pœna coercuisset.

§. XV.

Paulo post civibus Romanis plena potestas, &
 quod magis est plenum dominium ab eodem Romulo
 lege quadam, deinde in XII. Tabulas relata indulta
 fuit, quam etiam DIONYSIVS HALICARNASS.
Lib. II. ita delineatam consignavit: „Romanorum le-
 „gislator omnigenam potestatem patri dedit in filium,
 „& quidem toto vitæ tempore, sive eum exponere,
 „sive flagris cædere, sive vinctum ablegare ad rusticum
 „opus, sive necare libuerit, immo & veteres Romani
 „liberos duriori, quam servos modo mancipasse viden-
 B „tur,

„tur, siquidem servi per manumissionem libertate po-
 „tiebantur, at e contrario liberi a patre semel venditi
 „& manumissi, renovata servitute a patre iterum ter-
 „tiumque distrahi poterant.

COROLL. I. Dominium attingit ipsam substantiam,
 ideoque dominum jus oportet habere ipsam sub-
 stantiam destruendi.

COROLL. II. Hinc patres, familiarum suarum princi-
 pes vocat *ULPIANVS Fragment. T. IV. §. 1.* hinc eo-
 rum patria potestas, etiam Majestas patria audit va-
 riis in locis, a *THEODORO MARCILIO Interpret.*
Leg. XII. Tab. relatis.

SCHOL. Tale jus & dominium Romanis fuisse etiam
 aliunde constat, ita & Auctor collat *L. L. Mosaica-*
rum & Romanarum T. V. l. 8. dicit, patri legem
 regiam *ROMVLI* dedisse vitæ necisque potestatem,
 hæc potestas deprehenditur quoque expressa in an-
 tiqua arrogationis formula apud *GELLIUM Noct. At-*
tic. cap. 19. his verbis: „Velitis jubeatis, uti *L. VA-*
 „*LERIVS L. TITIO* tam jure legeque filius fiet, uti
 „in pariendo filio.„ Quod caput arrogationis &
CICERO commemorat in oratione pro Domo, quod
 etiam affirmat *SIMPLICIUS comment. ad cap. 37.*
EPICETI Enchirid.

§. XVI.

Ex concessio civibus Romanis dominio & jure gla-
 dii in liberos, non potuit non invalescere consuetudo,
 liberos recens natos aliosque exponendi, etsi etiam
 concedendum nobis foret, expressam hoc legem neu-
 tiquam permittere, nihilominus tamen absoluta nullis-
 que limitibus circumscripta potestas patria, illud ipsum
 fatis

fatis superque evictum dat, impuneque hoc fieri posse demonstrat.

COROLL. A majori ad minus hic optime valet consequentia, qui enim habet dominium rei, habet & jus illam destruendi quocunque modo, & per consequens etiam facultatem illam exponendi.

§. XVII.

Quodsi in rationem pravæ hujus consuetudinis inquirimus ejusque originem investigamus, neutiquam deest color quo illa exornari solet, ejusque immanitas defendi, suppeditat illum *L. 9. §. 1. ff. ad leg. Falcidiam*, ubi dicitur partum nondum editum aut recens natum, nisi nutricis opera intervenerit, vulgo non haberi hominem, talem quoque rationem profert **PHILO JVDÆVS** de vita *Mosis*.

SCHOL. Idem etiam placuit nonnullis philosophis, de quibus sequentia refert **PLVTARCHVS** de placitis philosophorum lib. 5. cap. 15. „Quum quæritur an „foetus in utero animal sit? **PLATO** animal censet, „quia & moveatur in utero & alatur, Stoici cui „sectæ plurimi Romani addicti, partem ventris non „animal, utque fructus, qui stirpium partes sunt, „ubi maturuere defluunt, ita rem quoque se habere „de foetu putant, **EMPEDOCLES** foetum quidem non „esse animal, spiritum vero in utero, primam au- „tem animalis respirationem fieri, cum partus edi- „tur, decedente humore, qui est in foetu, putat.

§. XVIII.

Cum vero expositionis infantum jus & facultas ex dato dominio civium Romanorum in liberos originem trahat, facile decidi potest quæstio, an & matri hæc facultas concessa fuerit? quam quæstionem eo

certiori fundamento negandam putamus, quo magis constat, matrem potestate patria non fuisse gavifam, cum illa spectaverit ad jus quiritarium civium Romanorum, cujus foeminae non erant participes, sed potius ipsae potestati maritali subiectae, ad quam pariter mediante matrimonio iusto transibant.

§. XIX.

Nos equidem non latet, dari Jctos sententiam defendentes, matri licuisse vim visceribus inferre, ut partum abigeret, ex quo inferunt, si licitum fuerit partum matri necare, concessum quoque fuisse illum exponere, argumento ducto a majori ad minus, provocantes quoad prius ad principia philosophiae Stoicae, foetum in utero existentem pro homine non habentia, secund. *L. 1. ff. de ventr. inspici. § l. 9. §. 1. ff. ad Leg. Falcid.*

§. XX.

Rectius tamen nobis illi statuere videntur, qui occisionem partus non aliter permittunt, quam ex foetu, quem mulier non ex marito, sed vaga venere concepit, uterus enim ut pars mulieris, jure proprio ad maritum spectat, mortuo enim marito venter inspiciabatur, & si mulier gravida renunciabatur, custos adponebatur, *L. 1. princ. §. 10. ff. de ventr. inspiciendo.* Imperatores SEVERVS & ANTONINVS etiam mulierem quae partum abegerat, in exilium temporale damnarunt, cum indignum videri poterat, eam impune maritum liberis defraudasse, addit TRYPHONIVS hanc rationem, quod ab heredibus secundis accepta pecunia

cunia

cunia partum medicamentis abegerit, ac spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, hæredem familiæ, designatum reipublicæ civem sustulerit. Si vero mater hac facultate gavisa fuisset, neque inspectio ventris, nec custodis appositio, adhibenda, & tam sollicitè abactio evitanda fuisset.

§. XXI.

Egimus huc usque de expositione prolium in genere, ejusque impunitate, nulla adhibita differentia inter recens natos & jamjam adultos, attamen cum quidam Doctores distinguant quoad impunitatem hujus expositionis inter recens natos sive sanguinolentos, statuuntque in sanguinolentis solummodo patri expositionem aliorum misericordiæ permissam fuisse, in alia omnia vero eant quoad adultos, operæ pretium erit, hujus distinctionis fundamentum secundum analogiam juris sub incudem revocare.

§. XXII.

In indagando hujus distinctionis fundamento, omne punctum feret natura & indoles patriæ potestatis, a ROMULO patribus concessæ, plenum dominium in liberos, secundum superius evicta, involventis, & jus vitæ & necis in illos indulgentis, ac eo usque durantis, donec vel per manumissionem sive emancipationem, vel mortem patris, aut ad dignitatis cum singulari potestate conjunctæ filii promotionem, solutio hujus eminentis potestatis contigit. Ex quo non potest sequi non, nullam quoad permissionem expositionis infantum, quoad conditionem illorum differen-

tiam esse statuendam, vel invitis legibus admittendam, eo præsertim tempore, quo ista potestas nullis adhuc limitibus fuit circumscripta.

SCHOL. Si petat quis exempla, exerciti hujus juris vitæ & necis in liberos, historiarum monumenta plenam nobis exhibent farraginem, referri potest hunc in censum exemplum LVCII BRVTI in filios hoc modo animadvertentis apud VALERIVM *Lib. V. cap. 8. n. 1.* nec non FABII EBVRII, qui referente QVINCTILIANO *Declamat. 3.* filium impudicum, cognita domi causa, necavit, ut & CASSII civis Romani, qui filium suum, nuper etiam Tribunum plebis, ad virgas & mortem domi, non tamen suo proprio arbitrio, sed ex propinquorum & amicorum Consilio damnavit, quod agraria lege reipublicam turbasset, ut idem est auctor VALERIVS *Lib. V. cap. 8. n. 2.* Posterior quoque ætas suppeditat exempla supplicii paterni, AVLVS enim FVLVIVS filium suum, quod castra Catilinæ sequeretur, medio itinere abstractum, morti dedit, plura exempla apud DIONYS. HALICARNASS *Lib. II. p. m. 97.* SALLVSTIVM bello Catilin. *cap. 39.* & CASSIVM *lib. 37.* prostant.

§. XXIII.

Durationem hujus liberos exponendi licentiæ, quod attinet, de illa diu multumque inter eruditos disceptatum fuit, aliis hanc, aliis aliam sententiam defendentibus, quorum argumenta & opiniones huc spectantes, quantum instituti ratio permittit, recensebimus, nostramque deinde in medium proferemus.

§. XXIV.

§. XXIV.

JACOBVS RAEVARDVS *ad LL. XII. Tab. cap. 3.* jam ante exactos reges Romanos hunc morem exilio fuisse datum contendit, alii vero statuunt, expositionem hanc impunitam fuisse usque ad tempora & constitutionem VALENTINIANI VALENTIS & GRATIANI in *l. 2. C. de expos. & l. 3. C. ad legem Corneliam de Siccariis* Anno Christi 374. & urbis Rom. conditæ 1128. hanc sententiam primum protulit Cel. JUSTVS LIPSIUS *cent. 1. ad Belg. Epist. 85.* qui & ex patribus Christianis vestigia & testimonia hoc comprobantia adferre studuit, ac in censum hunc retulit, JUSTINVM MARTYREM, TERTVLLIANVM, LACTANTIVM & AMBROSIVM.

§. XXV.

HVBERTVS GIPHANIVS *in comment. ad L. ult. C. de Patr. potest. & ad Auth. non licet atque ad Auth. ex causa C. de lib. præ. vel ex hæred.* una cum THEODORO MARCILIO *in interpret. XII. Tab. cap. 24.* DIOCLETIANVM Imperatorem abrogasse videri occidendi & exponendi potestatem, statuit, hac potissimum ex ratione, quod idem & vendendi abrogaverit facultatem, *in l. ult. C. de patribus qui filios distraxerunt.*

§. XXVI.

Alii, inter quos primas fert VLRICVS HVBERVS *in Digress. lib. 2. cap. 5. & in prælect. juris Roman. h. t. §. 3.* eam fovent opinionem, ac si exponendorum liberorum jus usque ad tempora CONSTANTINI M. Imperatoris duraverit, provocantes *ad l. un. C. de*

C. de

C. de his qui parentes vel liberos occid. Idem sentit etiam ISAACVS CASAVBONVS ad SVETON. CLAVD. cap. 25. conf. etiam CONRADVS RITTERSHVSIVS ad *L. L. XII. Tab. classe 3. part. 1. cap. 1.* & PETRVS PITHOEVS ad *collat. LL. Mosaicar. & Romanarum T. 4. loc. 8.*

§. XXVII.

Nostram quod attinet sententiam, optime nobis illi sentire videntur, qui jure Pandectarum jam coercitam fuisse hanc exponendi facultatem, pœnæ quodam genere, statuunt, utut vestigia certissima determinatæ alicujus pœnæ non possint probari, indeque concludamus, illam, pro qualitate circumstantiarum delictum vel augmentum vel minuentium, fuisse inflictam, & hinc non ordinariam sed extraordinariam obtinuisse, ac arbitrio judicis relictam, toties obtinentem, quoties leges certam infligendam pœnam non determinant. Quod vero hanc amplectamur sententiam, hac potissimum movemur ratione, quod jure Pandectarum pater teneatur ad liberos agnoscendos & alendos, probante hoc *L. 4. & 5. pr. & §. 1. ff. de agnoscend. vel alendis liberis, & L. 3. §. 1. ff. eod. tit.* quo ipso per indirectum prohibitam fuisse exponendi facultatem, non sine certo fundamento colligere putamus, alias enim omnis sollicitudo legum de alimentis præstandis supervacanea fuisset, probabile igitur fit, sub Imperatore TRAJANO HADRIANO & ANTONINO PIO hanc expositionem cessasse.

CO.

COROLL. Moralitas actionis definit delictum, quo magis ideo quis circumstantiis ductus exponit liberum; eo minus est delictum & contra.

SCHOL. Conf. l. ult. ff. si a parent, quis manumissus sit, & L. 5. ff. ad legem Pompejam de parricid. & SCtum Plancianum, videatur quoque Jacobus Gothofredus ad l. 2. C. Theodos. de lib. causa, & Alphons. a Caranza tr. de Partu C. IV.

§. XXVIII.

Argumentum etiam duci potest de servis, temporibus enim Pandectarum infinita dominorum potestas in servos, non tantum fuit temperata, teste **SENECA** lib. 3. de beneficiis, cap. 22. & lege **Petronia** sub **NERONE** lata l. 2. §. 2. ff. ad legem Cornel. de Sicariis, sed & prorsus sublata ab **HADRIANO** & **ANTONINO PIO**, qui servos a dominis occidi prohibuerunt eosque jusserunt, si digni essent, damnari per judices l. 2. ff. qui sunt sui vel alieni juris, conf. **SPARTIANVS** in vita **HADRIANI**.

SECTIO III.

De Expositione infantum secundum Jus Germanicum.

§. XXIX.

Antiquissimæ Germanorum leges, expositionem infantum disertis verbis, eo minus habuerunt capitalem, quo magis ex lege **WISIGOTHORVM** lib. IV. tit. 4. constat, servitutis solummodo pœnam

C

nam

nam eo casu, quando projectus infans vivus fuit conservatus & integer, ab exponente fuisse sumtam, nihilominus tamen facile largimur illustri HEINECCIO in *Element. Jur. Germanici lib. II. Tit. 27. §. 293. seqq.* statuenti, ex analogia harum legum capitalem pœnam hoc in delicto locum habuisse, quoniam enim jure WISIGOTHICO parricidæ habebantur, qui patrem, matrem, fratrem aut sororem, aut adfinem dolo malo occidere ausi fuerant, & pœna talionis non solum, sed etiam amissione bonorum coercebantur, *conf. lib. 6. tit. 5. §. 17.* non potest sequi non, etiam infantum expositionem WISIGOTHIS pro parricidio habitam fuisse, si infans projectus in locum solitarium perierit.

§. XXX.

Quod ad leges BURGUNDIONVM, & utramque FRANCORVM legem attinet, hæ tam parricidii, quam expositorum infantum crimen sicco prætereunt pede, idem dicendum de legibus BAVVARIORVM, ALAMANNORVM & FRISIORVM, FRISIIS tamen infantes exponere licuisse, eo minus dubitamus, quo certius constat, eos & abortum, & cædem infantum impune fieri permisisse, *conf. tit. 5. leg. FRISIONVM, Capitularia CAROLI MAGNI lib. VI. §. 142.* hoc solummodo jubent, ut expositi infantes, & intra decem dies a nemine agniti, iis qui illos sustulerunt, cedant, & qui postea illos repetere velint, tamquam homicidæ ecclesiastica coercitione damnentur.

§. XXXI.

§. XXXI.

Utut igitur antiquissimis temporibus præter **WIGOTHOS** vix ulla Germanica gens de parricidis & infantum exponentibus capitale sumserit supplicium, a seculo tamen XII. **SVEVIS** & **SAXONIBVS** æquior visa est pœna legis Pompejæ in l. 9. *princ. ff. ad legem Pompejam de parricidis*, cujus etiam meminit *Glossa juris Saxonici ad lib. 1. Art. 14. num. 6.* quæ etiam rationem reddit cur quatuor animalia culeo simul infuantur. Pœnæ culei mentionem quoque facit *Speculator Suevus cap. 231.* Ex quibus per bonam fluere consequentiam nos quidem putamus, hoc etiam temporis tractu, expositionem infantum in locum solitarium, eoque proposito factam, ut vitam cum morte commutent, morte secuta pariter ultimo supplicio fuisse punitam, nulla habita ratione, utrum in locum solitarium an ab hominibus frequentatum projectio fuerit facta.

§. XXXII.

CAROLVS V. Imperator optime de re criminali meritis *Art. 232. constitutionis suæ*, jubet, ut femina, quæ abdicandi animo, infantem, deinde ab aliis reperi- tum susceptumque exposuit, arbitrariam pœnam subire debeat, existente vero casu, ut expositus a nemine dategatur, tollaturque, sed pereat, præcipit, ut vel femina in corpore luat facinus, vel ultimum supplicium pro re nata patiatur.

SCHOL. Textus sanctionis Carolinæ in medium prolatus generaliter loquitur, nulla admissa differentia, utrum femina conjugata in honesto matrimonio

monio susceptam prolem, ob paupertatem, desperationem, vel aliam quamcunque causam exponat, nec distinguit utrum ex adulterio, stupro vel alio nefando coitu infans prognatus, ad depellendam forte ignominiam & evitandam pœnam fuerit abjectus, hinc vox: Ein Weib, quæ in textu deprehenditur, ad omnes has species commode applicari potest, ita, ut ratione pœnæ perinde sit, nec excusatio vel mitigatio pœnæ ex hoc vel illo capite sibi locum vindicare possit, conf. CLASSENIUS *ad Art. 232. CCC. p. m. 324.*

§. XXXIII.

Delictum hoc inter atrociora, & ea quæ arduam merentur pœnam, merito refertur, fœmina enim quæ hoc modo in propria sævit viscera, omnem humanam naturam exuisse & *σοφρην* naturalem ejurasse videtur, idque eo magis, quo certius experientia edocti sumus, animalia bruta angue pejus & cane fugere hocce delictum, accedit quod major deprehendatur in hoc delicto inhumanitatis gradus, quam in homicidio simplici, quod aliquando mediis adhibitis potest averti, infantes vero eo majori premuntur calamitate, dum nullo modo sibi auxilium conciliare, & suis viribus periculum vitæ, in quod per expositionem dejecti sunt, effugere possunt, uti optime hoc innuitur *in l. fin. C. de infantibus expositis.* Quodsi enim ille jamdum necare videtur, qui alimentorum præstationem denegat, *l. 4. ff. de agnos. & alend. liberis*, certe ille, qui præsentissimo vitæ periculo infantem exponit, eodem sese commaculabit crimine, & contra officium ab ipsa humana natura ingenitum, peccabit.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Bini vero casus, quoad pœnam infantum exponentibus infligendam juxta articulum supra allegatum, probe a se invicem sunt fecernendi. Quodsi enim infans expositus, non obstante expositione servatus fuit incolumis & integer quoad corpus & membra, & ab aliquo inventus, ac de debitis ipsi prospectum fuit alimentis, arbitraria locum habet pœna, ex circumstantiarum nexu, & adhibito prudentum consilio infligenda, eaque vel perpetua, vel temporalis relegatio, ut & carceris pœna, recte ita sentientibus CARPZOVIO *in prax. crim. part. 1. quæst. 10. num. 17. 18. 19.* & HAHNIO ad WESENBECK. *ad tit. ff. ad Legem Cornel. de Sicariis*, siquidem ipsa textus verba hoc innuere videntur: *Stürbe aber das Kind von solchen Hinlegen, so soll man die Mutter nach Gelegenheit des gefährlichen Hinlegens an Leib und Leben strafen.* Proinde recte possumus ex hisce verbis argumentum a contrario sensu formare, ut si infans expositus non pereat, sed incolumis adhuc reperiatur, mater neque ultimo supplicio, neque pœna corporis afflictiva, qualis est fustigatio adficienda sit, cum certa pœna in legibus non expressa, semper mitior & benignior sententia amplectenda veniat.

SCHOL. Arbitrium judicis uti in gravissimis sæpe causis omne punctum fert, ita & hic judex eo respicere debet, ut deficientibus expressis legum verbis, in judicando mentem & rationem legis ex circumstantiarum ponderatione attingat, ne vel in excessu vel defectu contra analogiam juris hic probe considerandum peccet.

§. XXXV.

Alterum, quod attinet casum, quando infans expositus est mortuus, ulterius videndum & distinguendum erit, utrum mater infantem exposuerit eo proposito, ut prætereuntes misericordia ducti illum tollant, & ipsi vitæ subsidia suppeditent, hac spe deinde frustrata & præter spem & opinionem exponentis, infante mortuo, vel ex inedia vel frigidioris aeris inclementia, tunc exponens fustigatione & relegatione plectendus erit, conf. BERLICH. *parte IV. conclus. 7. num. 36.* in locis autem ubi ictus fustium est abrogatus, damnatione in ergastulum vel aliud opus publicum exponens coercetur, vid. KRESS. *ad Art. 132. CCC.*

SCHOL. In dijudicando hoc proposito, locus & tempus & reliquæ circumstantiæ bene sunt observandæ.

§. XXXVI.

Quodsi autem mater infantem ea intentione, ut inveniatur & alatur non exposuerit, sed ipsi fati fuerit in loco publico, hominibus non adeo frequente, tempore etiam & tempestate non opportuna, dolo malo, ut inedia vel conficiatur, vel frigore pereat, infantem projicere, tunc pœna legis Corneliæ de Siciariis locum habet, ita ut mater gladio feriat, vid. HARPRECHT. *in Comment. ad Institut. de publicis judiciis num. 70.* In Electoratu vero Saxoniam lege provinciali ita jubente, ejusmodi mater juxta *decis. noviss. 78.* culeo insuitur & aqua suffocatur. Neque inficias ire volumus interdum etiam extra Saxoniam acerbiolem a matre exponente infantem, pœnam esse subeundam, uti enim animus occidendi aggravat delictum, ita atrocior,

cior,

cior, crudelior, & acerbior species mortis, qua perit infans, exacerbat pœnam, huc pertinet. e. g. quando infans eum in locum defertur, ubi fues & canes crebrius versantur, ubi infans credeliter dilaniatur vel dilaceratur, vel in fimetum ponitur, ubi ob fœtorem illuviem & humidam impuritatem miserrime ipsi pereundum, quibus in casibus acerbior quam ordinaria pœna gladii ea propter locum habet, quia retardata talis mors inhumanior est, quam abbreviata & accelerata.

SCHOL. Ejusmodi infante mortuo & dilacerato reperto, quando non constat utrum ante dilacerationem jam mortuus fuerit, medicorum est, signa inquirere, & indagare in signa tam externa quam interna, mediante inspectione, & si fieri potest sectione eruenda, & judici indicanda.

§. XXXVII.

Ultimum etiam supplicium decernendum esse putant ZIERIZ. BVLLAEVS & alii a STEPHANO *ad Art. 132. CCC.* allegati, eo in casu, quem §. XXXV. in medium protulimus, quando nimirum infans hac intentione est expositus, ut alii illum misericordia ducti tollant & nutriant, iste autem deinde per accidens fame, vel frigore perit, provocantes ad tritum illud: quod operam dans de re illicita, teneatur de omni eo, quod exinde etiam præter agentis propositum & intentionem sequitur, *l. 14. ff. ad L. Cornel. de Siccariis*, jam vero neminem fugere, exponentem infantem versari in re illicita, & per consequens etiam obligari de omni eo, quod exinde suam trahit originem.

nem. Quamvis autem hoc dicitur sua nitatur ratione, eique lubenter subscribamus, nihilo minus tamen a sententia supra defensa ob id divellere nos non patimur, siquidem illud non simpliciter sed tunc demum verum est, quando eventus ex ejusmodi re illicita per se immediate sequitur, non vero si id fiat per accidens, causa ad talem insperatum eventum non ordinata, quæ enim ex actione quadam per accidens proveniunt, agenti ut causæ primariæ imputari non possunt, neque ille tali affici potest pœna, quali tunc foret coercendus, quando immediate & per se ansam dedit morti infantis.

SCHOL. De specie, quando femina exponens pro sua defensione allegat ignominiaæ metum, agit KRESIVS ad Art. 132. CCC. illamque nullam mitigationis mereri rationem, rationibus sat prægnantibus defendit.

§. XXXVIII.

Huc usque egimus solum de eo casu, quando mater infantem exposuit, de quo etiam agit solummodo sanctio Carolina modo citata, quod si autem persona ad alendum & educandum infantem non obligata, partum exposuerit, & ille exinde gravissimum ob loci & tempestatis incommoditatem periculum incurrat mortis, vel plane moriatur, tunc cessante occidendi animo, talis quæ matri imminet pœna quidem locum non habet, sed nihilominus tamen arbitraria licet mitior erit irroganda.

SCHOL. I. Pertinet huc casus, quem Ill. de LEYSER in meditat. ad ff. specim. 613. meditat. 3. sequentem in modum refert: „Anna, infantis, ex stupro nati
„mater,

„mater, contra Julium a quo se stupratam perhi-
 „bebat, & quia ille nihil in bonis habebat, ma-
 „trem ejus, ut infantem suscipiat & alat, agit, &
 „fervente lite illius pertæsa, infantem ad aedes
 „Dorotheæ defert, & in medio atrio exponit, quo
 „comperto Dorothea ancillæ suæ negotium dat,
 „ut infantem ex ædibus in publicam plateam ex-
 „portet, ex qua servatus quidem integer, ob ex-
 „positionem tamen tempore hyemali factam, ani-
 „mus occidendi per indirectum arguebatur, & hinc
 „utraque pœna arbitraria, Anna tamen acerbiori
 „quam Dorothea fuit afflicta a Jctis Witteb.

SCHOL. II. Idem crimen committunt feminæ, in-
 fantes ad ædes stupratoris exponentes, ac in illis
 puniendis pariter spectatur animus, nec non loci
 & temporis ratio habetur, atque exinde colligitur,
 utrum expositio periculosa, letifera, & ad interne-
 cionem infantis comparata fuerit.

§. XXXIX.

Quod statum horum expositorum attinet, valde
 inter se disputant Doctores, an legitimi vel illegitimi
 censendi sint? negativam sententiam defendunt G A R-
 S I A S *de beneficiis Tom. II. part. 7. cap. 2. num. 10.* &
 Illustr. B O E H M E R V S *in jure Eccles. Prot. Lib. V. tit. II.*
 §. II. hac moti præcipue ratione: quod hodie exem-
 pla parentum liberos legitimos exponentium fere in-
 audita sint, & ex stupro suscepti a matribus regulari-
 ter exponantur, id vero, quod ut plurimum fit, non id
 quod raro accidere solet, præsumi. Hac tamen ra-
 tione non obstante adfirmativam tamquam veriore
 ac æquiore cum Illustr. de L E Y S E R *in medit. ad ff.*
Specim. 613. medit. 9. seq. CLASSENIO & KRESSIO
 D ad

ad Art. 132. const. crim. Carol. propugnamus opinionem, licet enim omnino fortis præsumtio ex eo, quod plerumque fit, nascatur, jura tamen nostra nolunt, ut innocens calamitatibus involvatur, quod ex analogia legum optime potest probari, sumto argumento de tempore, ex quo nuptiæ inter parentes sunt contractæ, siquidem infantes ordinarie & utplurimum exacto nono mense nascuntur, videntur igitur illi, qui septimo & octavo mense in lucem prodeunt, non ex matrimonio sed illegitimo coitu nati, & tamen hoc in casu ob favorem partus contraria obtinet præsumtio, quare ergo non eadem ratio in liberis expositis obtinere debeat, præcipue cum melius sit decem hominum famæ consulere, quam unum innocentem infamare, neminique per hanc præsumptionem aliquid accedat vel decedat, insuperque pœnæ ignominia non sint extendendæ sed restringendæ.

§. XL.

Quodsi dubium incidat, an expositus infans sit baptizatus, ac de eo non certo constat, nihil obstat, quo minus ille ad sacramentum initiationis adhuc promoveri debeat, quamvis enim baptismus reiterari non debeat, sed characterem indelebilem secundum principia Juris Canonici imprimat, satius tamen est, baptismum de novo adhiberi, quam per omnem vitam de ejus collatione in dubio versari, quod & adprobat *Canon. 110. de Consecrat. distinctione 4.* & STRYCKIUS ad BRUNNEMANNI *Jus Eccles. Lib. II. cap. 1. membr. 2. §. 7.* reiterationem in dubio faciendam, ad eum quo-

quoque extendit casum, quando scheda quædam testimonium de baptismo jamdum adhibito simul cum infante reperta fuit, cum ejusmodi schedæ, fide legali destitutæ, non credendum sit.

§. XLI.

Tandem quoque de eo, quis infantem expositum alere debeat brevissimis dispiciendum erit, in qua quæstione dijudicanda mores variant, licet in eo omnes fere conveniant, quod alimenta ipsi sumtibus publicis a magistratu suppeditentur, hanc ob causam admodum provide prospectum est in nonnullis provinciis de brephotrophiis vulgo *Findelhäusern*, quales ædes deprehenduntur, præter illas, quæ Lutetiæ multa cura servantur, in Germania Herbipoli, Norimbergæ, maximeque, ad hocce delictum de quo diximus, aliaque minuenda sunt commendandæ. In Saxoniam onus alimentandi infantes expositos, spectat ad eum, qui jurisdictionem superiorem eo in loco exercet, ubi expositio facta. Conf. *LUDOVICI ad Art. C. C. C. 132.* cujus rei hanc rationem suppeditat *Illustr. de LEYSER in medit. ad ff. spec. 113. medit. 8.* quod fiscus principis jus in bona vacantia tam de jure Romano *l. 1. C. de bonis vacantibus*, quam Germanico, *Weichbild art. 59.* habuerit, illudque hodie magistratibus superioribus cesserit, illique in emolumentum hujus compensationem ad alendos pauperes & puniendos maleficos fuerint obligati. Dantur etiam communitates, in quibus consuetudo obtinet, ut expositis ex bonis ad communitatem spectantibus provideri debeat,

beat, in cuius oneris redhoftimentum expofito ab in-
teftato decedenti, & bona relinquenti fuccedit com-
munitas, conf. LVDOVICI *loc. allegat.*

§. XLII.

Atque hæc funt, quæ fpeciminis inauguralis loco,
de hoc argumento commentanda fumus, fi ubique
rem acu non tetigerimus, eo magis excufationem me-
rebimur, quo acrius nonnulli Doctores de nonnullis
fententiis hic in medium prolatis, inter fe difceptant,
quæ ut omnia æqui bonique confulantur & in melio-
rem partem interpretentur, enixis lectorem roga-
mus votis, reciproca ubique fpon-
dentes officia.



* * *

So hast Du denn den würdigen Preis
Vor Deinen nicht gemeinen Fleiß
O Bruder! heut beglückt erreichet,
Beglückt hast Du den Weg besiegt
Dahin, wo die Belohnung liegt.
Was ist, das Deinem Glücke gleichet,

Von keinem falschen Schein gereizt,
Nach dem der niederträchtige geizt,
Sehn wir Dich ächte Weißheit lieben.
Nur edler Ruhmbegierde Werth
Den bloß der weisen Zahl verehrt
Erfüllte Dich mit reinern Trieben.

Und sollten wir nun nicht gerührt,
Da Dich der Ehre Schimmer ziert,
Von Freuden ganz berauschet werden?
Ja Wonne strömt durch unsre Brust,
Wir fühlen ungemaine Lust
Und zeigen sie in den Geberden.

Wom

Vom brüderlichem Trieb durchglüht,
Der sanfft durch unsre Adern zieht,
Gehn wir Dir heute froh entgegen.
Dort in der Themis Heiligthum
Dort hören wir von Deinem Ruhm
Und weihen Dir den reichsten Segen.

Ja lebe täglich neu beglückt
Im Flor, der Unlust unterdrückt,
So sehn wir unsern Wunsch erfüllet.
Nur bleibe ferner uns getreu,
So schencken wir Dir täglich neu
Ein Herz, drauß reine Liebe quillet.

Durch diese Zeilen wünschen Ehem her-
lichgeliebten Bruder zu der erlang-
ten Würde aufrichtig Glück, und
versichern ihn fernere brüderliche
Liebe

M. Wilhelm Emanuel Hogel,
Pfarrer in Kerspleben.

Andreas Emanuel Hogel,
Des Stadt-Raths und der Policy alhier verord-
neter Stadtschreiber.

1783 (0) 28

1783

